

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De Conciliis prouincialibus bis quoque anno habendis ad consideranda  
omnia quae ad ecclesias prouincialium episcoporum pertineant. Capvt VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

eo virtutem, doctrinam, & sanctitatem; fiatque <sup>ANNO  
CHRISTI  
325.</sup>  
cum consensu populi.

*De excommunicatis ab uno episcopo, non recipiendis ab alio: & de  
absoluendis illis ab archiepiscopo, vel patriarcha, cum  
constiterit de iniqua excommunicatione.*

### C A P V T VI.

Apost. 56.  
Ant. c. 6.

Nullus episcopus recipiat ab alio quocumque  
episcopo excommunicatum, siue presbyterum, si-  
ue alium e numero clericorum, siue laicum; nec  
eum ab excommunicatione liberet, ne excommu-  
nicatio illius episcopi contemnatur. Quod si epi-  
scopus, qui illum excommunicauit, est iniquus, &  
tyrannus, potest absolui ab archiepiscopo, vel pa-  
triarcha, postquam per literas cognouerit, & ad-  
monitus fuerit de illius episcopi iniquitate; & de-  
bet patriarcha, vel archiepiscopus scribere ad epi-  
scopum, quid actum sit; admonereque eum de in-  
iustitia & iniquitate eius.

*De Concilis prouincialibus bis quoque anno habendis ad consideranda  
omnia que ad ecclesiis prouincialium episcoporum pertineant.*

### C A P V T VII.

Apost. c. 36.  
Conc. Ant.  
19. Calch.  
ca. 19. Leo  
epist. 4. c. 7.

Statuimus, ut omnes episcopi prouinciæ bis sin-  
gulis annis Concilium habeant, archiepiscopo, aut  
patriarcha præsente, semel ante quadragesimam se-  
cunda hebdomada post festum Epiphaniæ, & ite-  
rum mense Septembri; ut in eo Concilio omnia  
quæ ad eorū episcopatus pertinent, considerentur:  
& si inuentus fuerit aliquis propter blasphemiam  
contra fidem excommunicatus, denuo ab omni-  
bus excommunicetur, donec episcopi defensio-  
nenem eius recipient facta inquisitione veritatis Dei.

ANNO CHRISTI 325. Ut illis temporibus & diu deinceps visus est hic Canon utilis, & necessarius ecclesiis, ita postea necessarium visum est contrahere bi- na Concilia singulorum annorum in singula, ne bis uno anno futu- rus esset absens ab ecclesia sua episcopus, & oves propter crebram absentiam pastorum facile a lupis vorari possent. hanc enim causam fuisse mutandi Canonem hunc de Conciliis bis habendis quoque anno scripsit Athanasius patriarcha Constantinopolitanus in episto- la ad episcopum Sardensem. de Conciliis vero lemel habendis sin- gulis annis, est Canon Synodi 6. cap. 9. Synodi Nicænae 2. cap. 6. Lateranensi. Concilii cap. 6. Hac nostra ætate cognita, & explorata percepta maiore adhuc necessitate præsentia episcopi in ecclesia sua, & maiore periculo absentia, singula Concilia singulorum an- norum in tertios quoque annos prorogata sunt. Si igitur frequens absentia episcopi ab ecclesia sua tam periculosa & pestifera iudicata est, vt (ne tempus & occasio frequens ei daretur) Synodus prouin- cialis alioqui tam necessaria & salutaris, non nisi vt tertio quoque anno habeatur, Synodus Tridentina prudentissime & saluberrime sanxerit, quid excusaturi sunt, qui tanto animarum periculo, & ec- clesia Dei incommodo & detrimento, electiones aut nominatio- nes differunt, & tam diuturnas vacationes munera pastoralis inue- hunt: quid excusabunt, qui interim silent & dissimulant, quos Deus posuit in ecclesia tamquam tubas & buccinas ad canendum, cum, vt ait propheta Ezechiel, viderint gladium venientem, quorum est clamare, & exaltare vocem suam: & que sequuntur in pro- pheta Ilaia.

*De patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, &  
eorum iurisdictione.*

### C A P V T VIII.

Constitutum est, vt episcopus Ægypti, id est, patriarcha Alexandrinus, præsideat & habeat po- testatem totius Ægypti, & omnium locorum, ci- uitatum & oppidorum, quæ sunt circum eam, quia sic conuenit; & quia similiter episcopus Ro- mæ, id est, successor Petri apostoli, potestatem ha- bet omnium ciuitatum, ac locorum quæ sunt cir- cum eam: ac similiter episcopus Antiochiæ, id est, patriarcha, potestatem habeat prouinciae illius to- tius: & in aliis item locis seruari debet, quod in præterito constitutum est.

Can. Nic.  
Græc. 6.  
Epitome v-  
trinique  
horum o-  
ctau, &  
noni.